



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Salomonis Villa, vulgo Salmenswiler/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Apta domus precibus, pietati & Religioni.

Hoc te Conradus Spleis, his ego in ædibus Abbas,

Scire volo, Lector, ne nostrignarus in it


Discedas. Tu pro nobis pia fata precare.

Hoc ipsum promittimus & nos mente paterna

Facturos pro te cunctisq; fidelibus orbis.

Obiit in autumno anni 1549. in thermis.

13. *Vitus*, cognomento *Textor*, Wangensis, ex parcho Osterkirchensi Abbas factus est anno 1549. Præsidet hoc adhuc corrente Jubileo.



SALOMONIS VILLA, vulgo *Salmenswiler* / vel, ut aliqui volunt, *Alemanni villa* (etsi non ita antiquum sit, ut *Alemanni* nomen redolere possit) dictum, omnium monasteriorum Cisterciensis instituti in Germaniis facile pulcherrimum opulentissimumq; uno milliari ab *Uberlinga*, civitate Imperiali ad *Acronium* lacum condita, in ipsa vero *Suevia* situm: quod aliqui sic dictum existimant, quod ad templi Hierosolymitani similitudinem conditum sit, alii vero à *Salomone* pastore quodam, primam ibi cellam sibi in oratorium construente, nomen id ei inditum perhibere & affirmare audent. Id, inquam, amplissimum monachorum collegium (in quo hac etiam adhuc tempestate sexaginta inveniatis monachos) fundatum & locupletatum est sub *Innocentio II. Pont. Max.* & *Lothario Imper.* à *Guntheramo*, nobili ac opulentissimo Barone de *Adelsreutte*, Equite aurato, qui obiit anno Domini 1138. Hujus insignia fuerunt niger aries in rubea planitie. Consequutum est monasterium hoc maximas opes & facultates per diligentem ac prudentem œconomiae administrationem. Donatum tamen est etiam munificentissime à plurimis Imperatoribus, à *Conrado Suevo* videlicet anno Domini 1142. à *Friderico Barbarossa* anno Domini 1155. tandem etiam ab *Eberhardo*, vel, ut alii vocant, *Burckhardo*, *Salisburgenfi Archiepiscopo*, *Romanæ sedis legato*, qui honorifice in hoc cœnobio humatus, secundus ejusdem fundator & præ-

Guntheramus,
Baro.

Comites
S. Montis.

& præcipuus ditator fuisse perhibetur. Habitant non procul à Salemitano hoc cœnobio Comites sancti Montis, qui, cum olim monasterium plurimis injuriis afficerent & opprimere conarentur, à Carolo IV. amplius id facere aut præsumere prohibiti sunt, qui cœnobio novas libertates & maxima privilegia imperavit. Multa olim ad idem monasterium contulerunt Comites Montis fortis, qui inter cætera beneficia & hoc fundarunt, ut omnibus ibi equitibus & viatoribus gratuitum pateret per unam noctem hospitium: sed quomodo ista tandem vetus Consuetudo abrogata sit, narratur mirabile quoddam commentum de monacho Diabolum effingente & nocturnis temporibus mirifice in domo hospitiū (qua forte fortuna ea nocte receptus erat Comes quidam Montis fortis) tumultuante: quem idem Comes noctu surgens gladio fursum per assærem (cui incubuerat tumultuans monachus) infixo, forte fortuna ita deprehensum transfoderat. Habent in hujus monasterii longe pulcherrimo magnificentissimoq; templo sepulchra & reconditoria sua Nobiles à Bodmen, Gremlichii, Schellebergeri, & Barones Rhordorffenses. Catalogus hujus loci Abbatum talis mihi ab ipso Abbate (qui hodie rerum potitur) benigniter communicatus est.

Monachus fingens se Diabolum transfoditur & interficitur. Catalogus Abbatum.

1. *Provinus*, è monasterio Lucellensi evocatus, primus declaratur Abbas Salemitanus anno Christi 1137. sub Ulrico II. Episcopo Constantiensi. Præfuit laudabiliter 28. annis, fideliter bona cœnobii ampliando. Obiit anno Christi 1165. Fuit vir admodum religiosus & suæ gubernationis studiosissimus.
2. *Godefridus* eligitur anno Christi 1165. Præfuit sub Alexandro III. Pont. Max. & Friderico Barbarossa Imperatore, Episcopo vero Constantiensi Othone, Duce de Zeringen, 3. annis. Obiit anno Christi 1168.
3. *Erimbertus* eligitur anno Christi 1169. sub Pont. Alexandro III. Imperatore Friderico I. Episcopo Constantiensi Othone. Præfuit annis septem. Obiit anno salutis 1176.
4. *Christianus* eligitur anno 1176. sub iisdem Pont. & Imperatore, Episcopo vero Constantiensi Bertholdo, Barone de Buning. Præfuit annis 15. Obiit anno 1190.

5. *Eber-*

5. *Eberhardus*, Comes de Rordorff, eligitur anno Christi 1190. sub Pont. Celestino III. Imper. Henrico VI. Episcopo vero Diethelmo, Barone de Weissenburg & Domino in Krenckhingen. Præfuit monasterio fideliter annis 51. Obiit anno Christianorum 1240.

6. *Bertholdus*, Comes de Urach, eligitur vivente adhuc Eberhardo in coadjutorem, anno Domini 1240. Romana sede vacante, sub Imperatore Friderico II. Episcopo vero Henrico, Barone de Tannegk. Præfuit per unum tantum annum & obiit anno Domini 1241.

7. *Eberhardus* de Wolmantingen eligitur anno salutis 1241. sub eodem Henrico Episcopo, Imp. Friderico II. vacante sede Apostolica. Præfuit 35. annis, & fratri Udalrico volens Abbatiam resignat anno Christi 1276. octo annis ante suam ex mortali vita emigrationem. Obiit tandem anno 1284. Sub ejus gubernatione Eremita quidam & monachus Salemitanus, Henricus

*Henricus
Finck.*

*Anguli
Cenobi-
um in
Monte
Sancto.*

Finck, anno Domini 1256. auxiliis Bertholdi Comitis in sancto Monte, fundum liberaliter conferentis, aliud monasterium ordinis Cisterciensis in honorem Joannis Baptistæ & S. Catharinæ instituit, in umbilico Montis Sanctorum ad Angulum vulgo dictum, in quo semper unus Salemitanorum habitare hodie adhuc solet.

8. *Udalricus Gretter* de Biberaco eligitur anno Christianorum 1276. Nicolao pontificatum, Rudolpho Habsburgio Imperium gubernante, Episcopatum vero Constantiensem Rudolpho Habsburgio, Regis Rudolphi fratre, tenente. Præfuit 6. annis. Obiit hydropisi anno gratiæ 1282.

9. *Udalricus de Selsingen* eligitur anno Domini 1282. mense Julio, Martino IV. pontificatui, Rudolpho Habsburgio Imperio præsidente, sub Episcopo Rudolpho. Præfuit laudabiliter annis 30. Ædificavit ex fundamentis penè incomparabilem & magnificentissimam Salemitani monasterii Basilicam è solido quadrato lapide, in qua 28. sunt altaria insignia & duo organa præclarissima. Obiit anno Christi 1311. Ad ejus sepulchrum

*Basilica
Salemi-
tana.*

pendent sequentes et si inconditi & veterem barbariem egregie redolentes versiculi, sequentium quorundam Abbatum nomina comprehendentes.

*Rupe sub hac multa requiescunt corpora patrum,
 Qui, dum vita superstes erat, fulgentes honore
 Pastorum, baculi quos ornant Abbatiales.
 Udalricus, Selsingensis dictus & Abbas
 Ecclesie presentis, quam construxit & ipse,
 Dum pastorem hic bis quartus is obtinet arcem.
 Nobilis hunc sequitur Ullricus, sede priori
 Abbas hic decimus, Comes è Sargans generatus.
 Abbatibus post hunc Bertoldum etiam Insula comat
 Undecimum, quin Doctorem quoque Theologiae.
 Wilhelmus cognomine Schrailck sequitur duodenus.
 Post quem suscipitur Jodocus, nomine Senner.
 Hinc Petrus de Ravenspurgo sumitur Ochser.
 Subsequitur Georgus, quem Constantia gignit.
 Ludovicus post hos Ueberlingensis habetur.
 Quorum suscepit sordens hæc corpora tellus.
 Sed cæli pateant animabus. Regna beata
 Impetret ut pia, qui transis, dic salve Maria.
 Fiat, ut exoptas, requiem ne dicere spernas,
 Ut tibi post mortem æqua ferantur dona salutis.*

10. *Conradus de Eslingen* eligitur anno Christi 1311. Clemente V. Pontificatum, Henrico VII. Imperium, & Henrico de Klingenberg Episcopatum tenente. Præfuit annis 26. Eligitur in Episcopum Curientem: etsi non inveniam, eum illic sedisse. Abbatiam vero resignavit in manus Benedicti XII. P. M. anno Christi 1337.

11. *Udalricus, Comes de Sargans*, eligitur anno Christi 1337. sub Pontifice Benedicto XII. Imperatore Ludovico IV. Episcopo Nicolao de Kentzingen. Præfuit laudabiliter annis 21. Obiit anno 1358.

22. *Bertholdus Dutz*, sacrae Theologiae professor, eligitur anno Christi 1358. Innocentio VI. Pontificatum, Carolo IV. Imperio,

Ccc

perio,

perio, Henrico à Brandis Episcopatu Constantiensi præfidente. Præfuit annis 15. & Abbatiam sponte resignans fratrem Gulielmum subrogavit anno gratiæ 1373.

13. *Gulielmus Schraibgk*, Abbas quondam monasterii Raitenhaslachiani in Bavaris, eligitur anno Christi 1373. sub Gregorio XI. Pontifice, Wenceslao Imperatore, Henrico de Brandis Episcopum Constantiensi. Præfuit 23. annis. Obtinuit ab Urbano VI. P. M. ornamenta pontificalia omnia, fuitq; primus Abbas hujus loci infulatus.

14. *Jodocus Sennerus* eligitur anno 1395. Bonifacio IX. pontificiam dignitatem, Wenceslao Imperii clavum, Burcardo vero Barone de Hewen Constantiensem Ecclesiam tenente. Præfuit annis 22. Resignat Abbatiam voluntarie anno Christi 1417. Obiit postea anno gratiæ 1429.

15. *Petrus Ochserus*, patria Ravenspurgensis, eligitur anno Christi 1417. Concilii Constantiensis tempore, Martino V. pontificatum, Sigismundo Imperium, Othone Marchione de Rottelen Episcopatum Constantiensem administrante. Præfuit 24. annis. Obiit subitanea morte in villa Ostern anno Christi 1441.

16. *Georgius*, monachus de Constantia, eligitur in Abbatem Salemitanum anno 1441. Felice V. pontificatu, Friderico III. Imperio, Henrico Barone de Hewen Episcopatu præfidente. Præfuit annis penè 19. Resignavit Abbatiam anno 1459. Fecit fieri majus Organon, cujus maxima & medioxima fistula habet in longitudine pedes 28. in circumferentia spithamas quatuor: item Cadus stupendæ magnitudinis, quem incolæ *Paricis* appellacione toti ferè Germaniæ notissimum fecerunt: in eo aliqui monachum olim vinorum inspectorem periisse affirmant. Edificavit & ornatissimum pistrinum, magnam incudem, majorem monstrantiam, ut vocant, & majorem Crucem deauratam: omnia construens magna, quod argumento est, & ipsum fuisse non admodum parvum.

17. *Ludovicus Oswaldus* ex Uberlingen, civitate Imperiali ad Acronium lacum sita, sacre Theologiæ professor, eligitur anno Christi 1459. Pio II. Pontificatu, Friderico III. Imperio, Hen-

*Organum
magnum.
Cadus
magnus.*

Henrico Barone de Hewen Episcopatum Constantiensem administrante. Præfuit 12. annis. Resignat Abbatiam infirmitatibus & afflicta valetudine gravatus anno Christi 1471. & non multo post decessit ex hac vita.

18. *Joannes Stantenat*, Lucellensis antea Abbas, eligitur in Abbatem Salomonis villæ anno 1471. Papatum Sixto IV. Imperium Friderico III. Episcopatum Constantiensem Hermanno de Landenberg tenente. Præfuit annis 24. Ædificari fecit inter cætera multa æstivalerefectorium longe pulcherrimum. Obiit anno 1495.

19. *Joannes Scharpffer*, de Mimmenshusen vicino pago, eligitur anno Christo 1495. Alexandro VI. pontificatum, Maximiliano Imperium, Thoma de Cylia Episcopatum gubernante. Præfuit annis 16. fidelissime. Fuit optimus œconomus. Ædificavit Bibliothecam, & sacellum, quod est sub Bibliotheca ornatissimum. Obiit anno Christi 1510. in die S. Francisci ante prandium.

20. *Jodocus Negkarus*, patria Uberlingensis, studuit Parisiis divinæ & humanæ philosophiæ, vir (ut illa tempora ferebant) eximie doctus & formatus (ut vocant) Baccalaureus. Eligitur anno Christi 1510. in die S. Dionysii, Julio II. pontificatum, Maximiliano Imperium, Hugone de Landenberg Episcopatum Constantiensem administrante. Præfuit utiliter annis 18. Obiit anno Christi 1529. ætatis suæ 47. Sub hoc ædificata est Pfullendorff magnifica domus Salemitanorum à Conrado Trostheimero, Burfario Salemitano.

21. *Amandus Schefferus*, Argentoratensis, vir optimus, non minus ad religionem quam domesticam curam genitus, eligitur anno Christi 1529. Clemente VII. pontificatum, Carolo V. Imperium, & Hugone de Landenburg Episcopatum gubernante. Præfuit annis sex. Moritur plenus dierum Uberlingæ anno Christi 1534. ubi sepelitur in cœnobio Minorum. Cœpit ædificare magnificentissimam domum Uberlingensem, quam sequens absolvit.

22. *Joannes*, Piscatoris Mimmenshusani filius, vir doctus piusq; fratrum amator, eligitur anno Christi 1534. circa festum visitationis Marianæ, sub Paulo III. Pont. Max. Divo Carolo V. Imperatore, Episcopo vero Joanne de Lupffen. Præfuit annis 9. Obiit anno salutis 1543. quarta Novembr.

23. *Joannes Appenzeller*, è Constantia genitus, eligitur anno 1543. circa festum Martini, sub Paulo III. Papa, Carolo V. Imp. Joanne Archiepiscopo Lundenfi. Præest adhuc hoc currente Jubileo podagricus. Ædificavit anno 1548. præclaram domum, quæ omnium eorum habitatio esse debet, qui mechanicas artes in eo cœnobio exercent. Fecit anno eodem aliud etiam vas stupendæ & admirandæ magnitudinis, ad similitudinem prioris *Paricis*, quadraginta vini plaustrorum capax, quod in longitudine 25. pedes habet.

Cadus stupendæ magnitudinis.

In hujus cœnobii vicinia est sancti Montis castrum ejusdem nominis Comitum, quos alio nomine Fürstenbergenses vocant. Dicitur Mons Sanctus à S. Felice & S. Regula illic sepultis. Ad radices ferè ejus Montis situm est *Bechium* monasterium Franciscanarum monialium, quod cœpit annum circiter 1412. ex piorum hominum eleemosynis, & fororcularum illic habitantium laboribus sustentatur. Postea liberaliter donatum est à parrocho quodam *Hafenwilensi*, Joanne Sutore, *Sulgoviano*, qui suis sumptibus construxit pro monialibus habitationem paulo ampliolem & firmiorem. Comites Sancti Montis sunt tutores & benefactores maximi ejus loci monialium.

Mons Sanctus. Bechium Cœnobium.

CLARÆ monasterium in urbe *Curiana* apud *Voitlandos*, *Sarci* omnino contiguum, monialium & tantum nobilium puellarum æternæ castitati devotarum insigne ac opulentum collegium, in quo mihi puero olim oculos dolenti collyria divina gratia feliciter adhibuit nobilis & admodum religiosa monialis, *Domina Brigitta Rorerin*: id, inquam, fundatum est anno Christi 1348. à *Domina Gertrude*, nobili foemina de *Huttenhofen*, quæ ejusdem sui cœnobii prima legitur designata *Abbatissa*. Habuit ea ipsa ex marito, *Barone Widenfi*, filium *Henricum*, *Comitem*